

Item adde, quod sicut mater, vel pater transiens ad secunda vota tenetur reservare filii primi matrimonii quidquid habuit ab illo primo matrimonio; ita eodem modo tenetur reservare filii secundi, tertii, vel ulterioris matrimonii quidquid habuit ab illo secundo, tertio, vel ulteriori matrimonio: textus est in leg. *Cum aliis*. versic. 1. *Cod. de Secundis nupt.* cujus verba sunt: *Itaque, si habens filios ad secundas nuptias fortasse transierit, sponsaliti- am largitatem, quam vir secundus contulerit in uxorem, tantummodo filii qui ex secundo matrimonio suscepti sunt pro soliditate possi- deant.*

7 Circa prædicta tamen se offert pulchra & necessaria dubitatio, an mulier transiens ad secunda vota teneatur reservare filii primi matrimonii bona, quæ habuit à consanguineis mari- ti contemplatione ipsius mariti, vel in casu dubio? Et eodem modo, an pater tenetur reservare bona, quæ habuit à consanguineis ip- sius uxoris contemplatione ejus, vel in du- bio? Et certè videtur quod non: Primò, quia legalis dispositio, quæ privat matrem vel patrem transeuntem ad secunda vota proprietate bo- norum, & obligat ea reservare filii primi ma- trimonii, est odiosa & merè pœnalis: ita pro- bat textus, junctâ communi expositione Doc- torum, in leg. *Fœmina*. *Cod. de Secundis nupt.* text. in *Authentic. de Nupt. cap. Si verò ex- pectet*. ibi: *Et hæc communis mulieris & viri mulctâ sit posita*. *Collation. 4.* Sed illa tantum loquitur in bonis habitis per unum conjugem ab altero, vel ejus filio: Ergo nullo modo debet extendi ad alia bona habitâ à consan- guineis: argumento text. in leg. *Interpretatio- ne*. ff. de *Pœnis*. text. in leg. *Factum*. la 2. versic. *final. ff. de Regul. juris*. text. in leg. *Semper in obscuris*. eodem titul. text. in *regul. Odiâ*. de *Regul. jur. lib. 6.* text. in *regul. In Obscuris*. eodem titul. text. in *regul. In pœnis*. eodem titul. Confirmatur etiam: quia licet dona- tio facta uxori à consanguineis mariti videat- ur facta ab ipsomet marito; tamen illud est per fictionem, & juris præsumptionem, ut in leg. *Additio*. in *fin. ff. de Acquirend. heredita- te*. & in leg. *Cum oportet*. versic. 1. *Cod. de Bonis quæ liber.* junctâ Glossa in verb. *Ex ejus subs- tantia*. & communi opinione: ergo dispositio pœnalis simpliciter loquens non debet exten- di ad casum fictum vel præsumptum: argumen- to text. in leg. 3. §. *Hæc verba*. el 2. ff. de *Negot. gest.* text. in leg. 1. §. *Hoc interdic- tum de cisterna*. ff. de *Fonte*. Et in expressò ex isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet Roman. in *Consil. suis*,

*Consil. 405.* incipienti *Præsuppositis*, ubi nota- biliter loquitur: Didacus de Castell. in *nostra leg. 15. Taur. penultim. colum. versic. Verum- tamen nota.*

Sed his non obstantibus, ego teneo con- trariam sententiam; imò, quod mater vel pa- ter teneatur reservare talia bona: Primò, quia omnia data vel donata uxori à consanguineis mariti ejus contemplatione, vel in dubio, quando hoc percipi potest ex qualitate rerum, videntur donata ab ipso marito, & ipso ma- rito quærentur, ut probat textus formalis in leg. *Sed si plures*. §. *In adrogato*. ff. de *Vulgar. & pupill.* text. in leg. *Cum oportet*. & ibi Glos- sa ordinaria, & communiter Doctores, *Cod. de Bonis quæ liber.* & dicam latius in leg. 53. in- frâ his legibus *Taur.* Ergo illa bona teneatur reservare, tanquam si immediatè ab ipso ma- rito provenerint; & idem è contra, ut mari- tus similiter tenetur reservare bona habitâ à consanguineis uxoris. Secundò & in terminis pro hac sententia & conclusione facit textus in *Authentic. In donatione*. *Cod. de Secundis nupt.* ubi habetur, quod si mulier recepit donatio- nem propter nuptias ab aliquo tertio pro ipso ma- rito, tenetur eam filii illius matrimonii reservare, tanquam si ab ipso marito processisset: & ibi no- tant DD. textus in *Authentic. de Nupt. cap. Si verò ex- pectet*. in *fin.* ibi: *Et non decernimus, &c.* *Collation. 4.* Ergo indistinctè ea, quæ fuerint data uxori à consanguineis viri ejus contem- platione, vel è contra, debent reservari.

Nec obstat si dicas, quod illa jura lo- quuntur tantum & specialiter in donatione prop- ter nuptias, & non in aliis bonis datis vel donatis à consanguineis, vel ab aliis personis contemplatione viri, ut dicebat & responde- bat Romanus in *dict. Consil.* Quia certè text. in *dict. cap. Si verò expectet*. in *fin.* *Collation. 4.* loquitur tam in donatione ante nuptias, quam propter nuptias, & apertè videtur compre- hendere omnia quæ dantur occasione matrimo- nii: ergo similiter habeat locum in omnibus bonis traditis & donatis à prædictis consan- guineis; quia occasione illius contracti mati- monii videntur data, & sic in omnibus mili- tat eadem ratio. Et in expressò istam senten- tiam & conclusionem tenet Palac. Rub. in *pra- sent. leg. colum. penultim. versic. Sed quam- vis*. Nec obstat primum & secundum funda- mentum pro contraria parte: Quia respondeo, quod licet dispositio sit pœnalis, tamen exten- ditur ad alium casum sibi similem, ex dispo- sitione alterius legis extendentis.

Et ex superioribus colligo & infero, quod per transitum ad secunda vota non amittit uxor in

in vita sua bona à marito relicta, licet tenea- tur ea reservare filii primi matrimonii.

8 Sed pro perfecta expeditione hujus legis & materiæ, aliqua videamus satis utilia, & neces- saria. Et primò quæro, si maritus expressè aliqua bona reliquit uxori sub conditione, *Si secundò non nupserit*; an statim ea amittat per transitum ad secunda vota, & applicentur hæ- redibus mariti, tanquam defecta conditione? Et breviter & resolutivè dico, quod sic: quia licet conditio *non nubendi* tolleretur ipso jure de jure antiquo in qualibet persona, ut in leg. *Sed si hoc*. §. *fin. cum lege sequent. ff. de Condit. & demon.* & in leg. *Cum tale*. ff. *Mevia*. eo- dem titul. & in leg. *Quotiens*. eodem titul. & in leg. *Titia*. eodem titul. tamen secus est de ju- re novo *Authentic.* quia talis conditio tolli- tur & rejicitur in virgine, vel homine qui nunquam nupsit, quando est absoluta respec- tu omnis personæ, ut nunquam possit con- trahere matrimonium (a): secus verò si sit posita respectu certæ personæ, vel certarum personarum, ut *cum tali vel talibus non con- trahat*; quia benè valeret. Tamen secus in vi- dua, vel viduo; quia indistinctè benè valet conditio *Ne nubat*, etiam absolutè respectu omnis personæ: textus est in *Authentic. Cui relictum*. *Cod. de Indicta Viduitate tollend.* & ibi tenet Glossa ordinar. Azo in *Summa illius titul.* Odofred. Cyn. Jacob. Butr. Bartol. Alber. Bald. Angel. Paulus, Salycet. & commu- niter DD. textus in *Authentic. de Nuptiis*. cap. *Quæ verò nunc sequitur*. *Collation. 4.* & ibi Doctores: tenet etiam Bartol. & Doctores in *dicta leg. Sed si hoc*. §. *fin. ff. de Condition. & Demonstration.* Idem Bartol. in leg. *Mulier & Titio*. in *fin.* eodem titul. Et in tantum est ve- rum, quod in virgine & non nupta rejicitur prædicta conditio *Si non nupserit*; ut pro- cedat & habeat locum etiam in sponsa de præ- senti, non tamen cognita per copulam: quia etiam in ea tollitur prædicta conditio posita à sponso vel ab altero, quia eadem est ra- tio: ita singulariter Bald. Ang. Paul. Jason *final. colum.* & Jacob. de Sancto Georg. in *Authen- tic. Cui relictum*, reputat esse utile & quotidia- num in practica. Item adde, quod idem etiam est in puella luxuriosè vivente, quæ nunquam

contraxit matrimonium: quia si ei aliquid re- linquitur sub conditione *Si non nubat*, talis conditio rejicitur, & poterit liberè contrahere matrimonium, & consequi relictum: ita etiam tenet Angel. Salycet. Paul. Jacob. de Sancto Georg. & alii DD. in *dict. Authentic. Cui re- lictum*. quod est benè notandum in practica.

Secundò quæro: Si maritus, vel alter re- liquit uxori vel mulieri viduæ aliquod lega- tum vel fideicommissum sub conditione, vel *donec castè & honestè vixerit*; & transeat ad se- cunda vota; an perdat relictum, & censeatur defecta conditio? Et videtur quod non per- dat, quia in matrimonio est castitas & ma- xima pudicitia (b): text. in leg. *Mulier*. §. *Cum proponeretur*. ff. *Ad Trebell.* ibi: *Quod & mulieris pudicitia, & patris voto congruebat*. text. in leg. *Castitati*. *Cod. Ad leg. Jul. de Adult.* text. in leg. *Consensu*. §. *Si qua igitur*. *Cod. de Re- pudis*. ibi: *Quod maxime etiam castas exasperat*. text. in cap. *Nicana*. 31. *distinction.* ibi: *Nuptias & castitatem esse cum propria conjugis*. text. in cap. *Hæc autem*. 30. *distinction.* text. in cap. *Deus*. causa 31. *quæst. 1.* cujus verba sunt: *Deus masculum & feminam prorogandi generis humani causa nuptiali castitate con- jungit*. text. in leg. *Res uxoris*. *Cod. de Dona- tionib. inter virum & uxorem*. ibi: *Quia pudic- itia præmio*. text. in leg. *Adventari*. ff. de *Inju- riis*. text. in *Authentic. de Non eligend.* *secun- do nubent.* cap. *Cum igitur*. ibi: *Ut metu cas- tarum nuptiarum (licet secunda sint) ab his quidem abstineant, & descendant ad quasdam interditas permissiones*. text. in *versicul. Sin- autem*. ejusdem §. ibi: *Sed ad viri alterius veniat nuptias honestè, & omni luxuria absti- neat*. Et in expressò, isto fundamento & consi- deratione istam sententiam & conclusionem tenet Bartol. cum Oldrad. in *dict. leg. Mulier*. §. *Cum proponeretur*. ff. *Ad Trebellian.* & ante eum tenent ibi Jacob. de Aret. & Raynald. idem Bartol. in leg. *final. Cod. de Indict. vidui- tar. tollend.*

Quod tamen limita & intellige, quando talis conditio profertur à patre, vel conjunc- to, vel penitus extraneo: quia tunc per tran- situm ad secunda vota non amittit relictum; quia matrimonium in se licitum & honestum est

(a) Vide per textum & Doctores in *Authentic. Cui relictum*. *Cod. de Indicta viduit.* Co- varrub. in *quart. 2. part. cap. 3. §. final. numer. 1. & 12.* Jason in leg. *Si mater. distinc- tion. 2.* *Cod. de Institution. & Substitution.* Villalobos in *dict. Arario communium opinio- num*. 14. Azeved. in *dict. leg. 3. titul. 1. lib. 5. Recopil. num. 1.*

(b) Vide allegatos supra in *num. 8.* ibi: *Sub conditione, Si secundò nubat, &c.* qui etiam hanc quæstionem resolvunt.



est; Item quia nulla videtur eis fieri injuria, imò interest sibi, & honor toti generi conservatur, ne fortè per viam inhonestam & impudicam injuria & infamia toti generi irrogetur: Secus verò si talis conditio ponatur ab ipso marito, vel filio ejusdem mulieris; quia tunc per transitum ad secunda vota amittit relictum, quia ei fit maxima injuria, ut in *Authentic. de Non eligend. secundo nubent. cap. Prospeximus. collation. 1.* ibi: *Quoniam omnibus simul secundis nuptiis fecit injuriam.* text. in *Authentic. de Nuptiis. cap. Deinceps. §. Solutio. Collation. 4.* cujus verba sunt: *Solutio igitur matrimonio secundum predictas omnes disjunctiones, felix quidem & beatum est utrique contrahentium perdurare in priori conjugio, & non procreatam sobolem matrimonii sequentibus forsitan contristare.* Item, quia respectu eorum per transitum ad secunda vota non servatur pudicitia: text. in *Authentic. Neque virum quod ex dote, &c. in Praefation. Collat. 7.* ibi: *Si quidem aliquis conjunctorum servaverit pudicitiam.* text. in *Authentic. de Non eligend. secundo nubent. in cap. Cum igitur. versic. Optimum. Collation. 1.* Cujus verba sunt: *Optimum itaque est, atque laudabile, & dignum oratione, ut mulieres se ita honestè tractent, quatenus qua semel ad virum venerunt servent inviolatum morientium thorum: & hujusmodi mulierem & miramur pariter & laudamus.* Ita singulariter tenet & declarat Angel. de Perus. in *dict. leg. Mulier. §. Cum proponeretur. ff. Ad Trebellian. 2. colum. num. 3.* & ante eum ibi Alb. dicens, quòd semper ita vidit servari in practica: Tenet etiam ibi Joan. de Imol. 1. *colum. Paul. de Castr. 1. colum. num. 5. Alexand. 3. colum. num. 5. Bald. in leg. final. Cod. de Indicta viduitate tollend. 2. colum. num. 4.* & ibi Angel. Salyc. Jason, & Philippus Corn. idem Bald. in *leg. Deo nobis. penultim. colum. num. 9. Cod. de Episcop. & Cleric. idem Bald. in leg. Unic. Cod. de Rapt. virg. 2. colum. num. 15. Joan. de Imol. in leg. Cum filius. §. Qui Mutianam. ff. de Legat. 2. Angel. de Perus. in Authentic. de Non eligend. secundo nubent. in cap. Cum igitur. Collat. 1. Nicol. de Ubald. in tractat. de Succession. ab intestat. 2. part. 5. colum. versic. Posset decidi etiam questio. Joan. de Imol. in cap. Quod ad te. 1. colum. num. 6. de Cleric. conjug. & ibi alii Doctores Canonist. Unde, pro fugiendis opinionibus consilium est, quòd testator in conditione declaret, *Si castè & honestè vixerit, & vitam vidualem servaverit: secundum prædictos Doctores ubi supra.**

Adde tamen, quòd si tale legatum vel fideicommissum sit relictum mulieri quæ jam

habuit duos viros, sub prædicta conditione *Si castè & honestè vixerit; & transeat ad tertias nuptias: illud indistinctè perderet, modò talis conditio fuerit posita à marito vel filio, modò ab aliquo extraneo: quia tertium matrimonium videtur detestabile, & arguit incontinentiam, & sic de illo non videtur testator sensisse: ita tenet Angel. de Perus. in dicta leg. Mulier. §. Cum proponeretur. ff. Ad Trebellian. argumento text. in Authentic. de Nuptiis. §. Hoc ideo de amabili. Collation. 4.* Sed certè ille textus ibi non invenitur: Unde secundum Imol. videtur voluisse allegare text. in *Authentic. de Sanctissim. Episcop. §. Ideo autem. Collat. 9.* Sed nec ille text. aliquid facit neque probat: Unde dico, quòd voluit allegare textum in *Authentic. Quomodo oporteat Episcop. cap. Hac autem de Deo amabilibus. Collation. 1.* ibi: *Sed non ad tertias veniat nuptias. & ibi etiam expressè tenet & notat Angel. & istam eandem sententiam & conclusionem tenet Paul. de Castr. in dict. §. Cum proponeretur. Felin. in cap. Si cautio. de Fide instrument. 10. colum. num. 4.* Sed salva eorum pace, ista sententia & conclusio est falsa: quia tertium, quartum, vel aliud matrimonium ita est licitum & honestum sicut primum, ut in *cap. Aperiant, quæso, aures. caus. 31. quest. 1.* & isto fundamento & consideratione illam sententiam & conclusionem reprobatur Joan. de Imol. in *dict. §. Cum proponeretur. 1. colum. Alexand. 5. colum. num. 10.*

Item adde, quòd per transitum ad secunda vota mater statim ipso jure amittit tutelam vel curam filiorum, quam assumpserat: constat enim, quòd mater potest esse legitima tutrix filiorum suorum, & præfertur dativis, & legitimis; licet non testamentariis; textus est formalis & expressus in *Authentic. Matri & Avia. Cod. Quando mulier tutela offic. fung. poss. Cujus verba sunt: Matri & Avia secundum ordinem tutelam subire etiam ante agnatos permittimus, si inter gesta nuptiis aliis, & auxilio senatusconstulti Velleiani renuntiaverit: solis testamentariis tutoribus præcedentibus eas, legitimis & dativis postpositis.* & ibi notat Glossa ordinaria, & communiter DD. text. in *Authentic. de Hereditibus ab intestat. venien. cap. Ex his. vers. Mulieribus. collat. 9.* & ibi DD. idem expressè disponit *lex 4. & lex 9. titul. 16. 6. part.* Et licet prædicta jura non expriment, tamen idem est in cura; quia potest esse curatrix filiorum suorum, propterea quia militat eadem ratio: ita tenet Glossa ordinaria in *dicta Authentic. Matri vel Avia. in verb. Tutelam.* & ibi Bartol. 2. *colum. num. 7. Odofred. Bald. Salycet. & communiter DD. Bartol. in leg.*

*leg. Si quis sub conditione. ff. de Testament. tutel. 4. colum. num. 11.*

Adde tamen, quòd prædictam tutelam & curam non tenetur mater recipere, si non velit; quia prædicta jura permittunt sibi habere, non verò imponunt necessitatem: & ita tenet Gloss. in *dict. Authentic. Matri & Avia. in verb. Permittimus.* & ibi Bartol. 2. *colum. num. 8. Bald. 1. colum. num. 2. idem Bartol. in dict. leg. Si quis sub conditione.* & idem probat prædicta *lex 9. titul. 16. 6. part.*

Item adde, quòd ista dispositio & materia habet etiam locum in matre & avia naturali tantum: textus est in *leg. final. Cod. Quando mulier tutel. offic. fung. poss. & ibi DD. tenet etiam Glossa ordinaria in dict. Authentic. Matri & Avia. in gloss. 1.* & ibi Bartol. 2. *colum. 1. questio. & ibi communiter DD.* Et idem est etiam in filio spurio: ita Glossa in *dict. leg. final. in gloss. 1. eodem titul. & ibi communiter Doctores.* Quòd intellige, nisi talis filius sit natus ex damnabili coitu, secundum Salicet. ibi. Item fallit, si mater sit illustri, secundum Doctores ibi, & secundum Bartol. in *dict. leg. Si quis sub conditione. 3. colum. in fin. num. 7.* Item quòd dictum est in matre habet etiam locum in Avia, & aliis ascendentibus: ita dicunt prædicta jura, & ibi communiter DD.

Advertendum tamen, quòd ad hoc ut valeat talis datio vel acceptatio tutelæ, vel curæ, oportet quòd mater expressè renuntiet secundis nuptiis, & etiam auxilio Velleiani; aliàs non valeret officium tutelæ, vel curæ: quia licet non requiratur juramentum ejus *de non nubendo;* tamen renuntiatio requiritur pro forma: Unde, sicut de jure antiquo non valebat sine juramento, ita hodiè non debet valere sine prædicta renuntiatione. Et in expressò ita probat text. in *dict. Authentic. Matri & Avia. ibi: Si inter gesta nuptiis aliis, & auxilio senatusconstulti Velleiani renuntiaverit.* Confirmatur, quia textus ille hoc ponit pro forma; ergo omninò debet servari: argumento text. in *leg. Cum hi. §. Si Prator additus. ff. de Transaction. cum similib. & in expressò ita tenet & declarat Bartol. in dict. Authentic. Matri & Avia. 3. colum. num. 11. & ibi Bald. 1. colum. num. 3. Angel. 2. colum. in medio. idem Bartol. in dict. leg. Si quis sub conditione. 4. & 5. colum. num. 15. & ita probat prædicta *lex 4. titul. 16. 6. part.* & ita communiter practicatur. Alii autem auxilio non oportet de necessitate renuntiare, secundum Doctores ibi. Unum tamen est, quòd omnia gesta per ipsam matrem, si non sit sibi oppositum per partem*

Ant. Gomez. ad Leg. Taurii.

quæ cum ea gessit vel contraxit, valeant; argumento text. in *leg. 1. & per totum. ff. Quòd falso tutor. auctor. & in leg. Barbarius. de Offic. Prator. ita Alb. in dict. Authentic. Matri & Avia. penultim. colum.*

Item adde, quòd debet renuntiare omni alii auxilio sibi competenti: unde posset pro debito tutelæ incarcerari, licet aliàs mulier non posset: ita Bartol. in *dict. leg. Si quis sub conditione. 5. colum. idem Bartol. in dicta Authentic. Matri & Avia. penultim. colum. & ibi Salycet. & alii DD. tenet etiam Alexand. in leg. Plerique. final. colum. & ibi Jason penultim. colum. Roman. in leg. Alia. §. Eleganter. 3. colum. ff. Solutio matrimon. Adde tamen, quòd hoc casu superesset sibi remedium, ne conveniatur à filio ultrà quàm facere possit; & huic non posset renuntiarì secundum eos.*

Item adde, quòd talis mater per transitum ad secunda vota statim amittit tutelam vel curam legitimam filiorum; quia præsumitur, quòd causa vel amore secundi mariti non benè gubernabit bona filiorum: textus est in *dict. Authentic. Matri & Avia. Cod. Quando mulier tutel. offic. fung. poss. text. in Authentic. Sacramentum. eodem titul. text. in Authentic. Ut sine prohibitione matres debitorum tutelam gerant. Collation. 7. text. in dict. leg. 4. titul. 16. 6. partit. Pro qua ratione est bonus text. in leg. Lex qua tutores. in fin. Cod. de Administr. tutor. text. in leg. 1. Cod. Ubi pupill. educ. debeant.*

Item adde, quòd eodem modo per transitum ad secunda vota mater amittit tutelam testamentariam, quam ei maritus relinquit in testamento: quia illa videtur relicta cum qualitatibus tutelæ legitimæ, quæ defertur à jure: item etiam, quia ratio quæ militat in legitima, scilicet ne fiat præjudicium filiis, militat in testamentaria. Et in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Glossa ordinaria secundum opinionem Joan. in *leg. Omnem. Cod. Ad Tertyllian. in qua videtur residere, cum sit ultimo loco posita; & ibi Bartol. Cyn. Jacob. Butr. Alber. Salyc. & Corn. post Oldrad. & alios Antiquos: Angel. de Aret. in §. Actionum. Institution. de Actionib. 19. colum. num. 41. Et ista est communis opinio, & tenenda in judicando & consulendo; licet Bald. & alii teneant contrarium in *dict. leg. Omnem. Cod. Ad Tertyllian. ex eo quòd jure non reperitur cautum. Imò fortius posset attendi, quòd licet maritus dicat, quòd non expiret tutela per transitum ad secunda vota, adhuc debeat expirare, quia veritur maximum damnum tertij, hoc est filiorum, quibus lex**

N

pro-



prospicit, & ipse non potest præjudicare. (c)

12 Dubium tamen est, postquam mater est exclusa à tutela per transitum ad secunda vota, ad quem pertineat tutela, an ad legitimum, an verò ad dativum? Et videtur quòd ad dativum: quia isto casu mater removetur tanquam suspecta; & tutore remoto tanquam suspecto, devenitur ad dativum: ita in leg. Si quis sub conditione. §. Idem dicimus. ff. de Testamentar. tutel. & isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet Glossa ordinaria in dict. Authentic. Sacramentum. Cod. Quando mulier tutel. offic. & tenet Cyn. Alber. Fabr. Angel. in Authentic. Matri & Avia. eodem titul. In contrarium tamen, imò quòd pertineat ad legitimum, facit regula & conclusio generica, quæ habet, quòd donec reperitur legitimus non pervenitur ad dativum, ut patet ex ordine titulorum Digestor. Codic. & Instit. in mater. Tutelarum. & probat text. in leg. Si tutor reipublice. §. 1. ff. de Tutel. & rationib. & in leg. Non solum. §. Si libertus. ff. de Excus. tutor. & certè est difficilis quæstio. Et refert Bartol. in dict. Authentic. Sacramentum. quòd ista quæstio contigit in filia Comitissæ de Marsano, & fuit commissa Bononiæ quatuor Doctoribus, scilicet Ricardo de Malum. Jacobo de

Bello. & Jacobo Butr. & Rayn. For. & fuerunt discordes; nam duo tenuerunt unum, & alii duo aliud. Sed pro concordia videtur dicendum, quòd si mater nunquam assumpsit tutelam, quia noluit; tunc perveniat ad legitimum, ut in leg. 2. Cod. Qui petant tutores. Si verò accepit, & postea transivit ad secunda vota; tunc statim ipso jure desinit esse tutrix, & similiter tutela pertinet ad legitimum: Si verò mater tutrix comparuit coram iudice, & dixit quòd volebat nubere, & petiit tutorem dari; tunc erit dativus: Ita tenet resolutivè & magistraliter Bartol. in dict. leg. Si quis sub conditione ff. de Testamentar. tutel. penultim. colum. num. 17. idem Bartol. in Authentic. Sacramentum. Cod. Quando mulier tutel. offic. fung. poss. 1. colum. 2. quæst. & ibi Bald. 1. colum. Salyc. 2. & 3. colum. (d)

Item adde notabiliter, quòd licet talis mater non transeat ad secunda vota; tamen si vivat luxuriosè, amittit etiam tutelam vel curam filiorum, quia militat eadem vel major ratio, quia non debet esse melioris conditionis luxuria & inhonestas, quàm castitas quæ est in secundo matrimonio: argumento text. in Authentic. de Restitutionib. & ea quæ parit undecimo mense. cap. final. Collation. 4. (e) Et in expressò, ex isto fundamento & ratione istam

(c) Vide omninò Matienz. idem tenentem in leg. 3. titul. 1. lib. 5. Recopilation. gloss. 2. num. 9. cum aliis quos allegat: & Azeved. ibid. num. 5. Et an hoc casu, quando mater tutela filiorum privatur, tutor dativus debeat esse eis providendus, vel legitimus? docet, post Augustinum Beroj. & Cuman. Consil. 94. Socin. Senior Consil. 20. num. 10. lib. 5. Villalobos in Erario commun. opin. litter. T. num. 233. cum sequentib. Azeved. ubi supra, num. 6. cum aliis quos congerit. Sciendum tamen, mulierem secundò nubentem teneri hæredibus primi mariti vestes lugubres restituere post mortem ejus sibi datas, ut rectè docuit Covarrub. in 4. 2. part. cap. 3. num. 9. & 10. Avend. in cap. 10. Pratorum. num. 13. lib. 2. Casp. in leg. 15. Taur. num. 8. & 9. Azeved. ubi supra, num. etiam 7. & 8. qui etiam tenet, lectum quotidianum debere prædictam mulierem ad partitionem afferre cum hæredibus primi mariti, secundum doctrinam textus in leg. 6. titul. 6. lib. 3. fori, quæ usu observari testatur. Sed si casu pater dedisset substitutum pupillarem filiis, eorum educatio patri permittenda est: quia tunc cessat omnis suspicio fraudis; cum, illis mortuis, non ad matrem, sed ad substitutum hæreditas sit perventura, ut egregiè advertit Gregorius Lopez in leg. 5. tit. 16. part. 6.

(d) Idem Beroj. quæst. 66. num. 4. & 6. fol. 796. & Greg. in leg. 5. titul. 16. part. 6. verb. El mas cercano. quasi ad finem. Menoch. de Arbitrar. Centur. 2. casu 151. Sylva nuptialis lib. 2. num. 51. cum sequentib. Quòd hic dativus præferatur legitimo, docet Matienz. in leg. 3. titul. 1. gloss. 2. num. 11. lib. 5. pag. 30. colum. 3. Et licet is qui datus est tutor vel curator, contrahat postea matrimonium cum matre pupillorum, ita ut eorum vitricus esse incipiat, non amittit tutelam; quia vitricus tutor esse potest: text. in leg. final. Cod. de Contrario iudicio tutela. & in leg. Non numerata. 23. de Adoptionib. tradidit latè Caldas Pereyr. in leg. Si curatorem habens. verb. Sine curatore. num. 110. Cod. de In integr. restitution.

(e) Idem tenet Perez in leg. final. titul. 1. lib. 5. Ordinam. pag. 5. colum. 1. ad fin. Avi-

tam sententiam & conclusionem tenet Glossa ordinaria in dict. Authentic. Sacramentum. Cod. Quando mulier tutel. offic. fung. poss. in gloss. & ibi notat & commendat Bartol. 1. colum. & quæstion. Salic. 1. colum. 2. quæst. & communiter DD. Bartol. in dict. leg. Si quis sub conditione. penultim. colum. num. 26. Angel. de Aret. in §. Actionum. Institut. de Actionib. 19. colum. num. 41. ubi dicit, quòd si multa secreta essent patefacta, multæ tutelæ essent expiratæ. Hippolit. de Mar. in leg. Unic. Cod. de Rapu virgin. 11. colum. num. 54. Pro qua sententia & conclusione ultra Doctores facit text. in leg. final. Cod. Quando mulier tutel. offic. fung. poss. ibi: Sed pudicitiam suam intactam conservet. quem ad hoc considerat Bartol. in dict. Authentic. Sacramentum. 1. colum. & quæstion. text. in leg. His solis. in fin. Cod. de Revocand. donation. & ibi notant Doctores. Item facit textus notabilis & expressus in leg. final. §. penultim. Cod. de Sentent. passis. ubi habetur, quòd licet pater sit legitimus administrator filii, tamen amittit illam administrationem, si sit luxuriosus, & inhonestæ vitæ, vel habeat malos mores, de quibus ibi: ergo à fortiori mater debet perdere tutelam. Item etiam facit textus notabilis in leg. Cum quis. ff. de Solution. text. in leg. Si cum Cornelius. eodem titul. ubi habetur, quòd si procurator post mandatum susceptum habeat malos mores, tacite videtur ei revocatum mandatum: & ibi notat Bartol. Alber. Paul. & communiter Doctores. Item pro hac sententia & conclusione facit expressa dict. lex Partit. 9. titul. 16. 6. part. Imò, quòd magis est, si mulier vivat luxuriosè, potest sibi fieri interdictio bonorum per iudicem, tanquam prodigæ; quia sicut prodiga est suæ personæ, ita etiam præsumitur esse rerum: textus est singularis in jure in leg. Et mulieri. ff. de Curatorib. furios. vel aliis exera minores dandis. Cujus verba sunt. Et mulieri quæ luxuriosè vivit, bonis interdicti potest. & ad hoc notat & commendat ibi Glossa ordinaria, & communiter Doctores antiqui: notat etiam & commendat Roman. in leg. Is cui bonis. ff. de Verbor. obligat. penultim. colum. num. 25. Abbas Panormitan. in cap. Pastoralis. de Judiciis. penultim. colum. versic. Ultimo excipit easum. & ibi Felin. penultim. colum. in med. ubi hoc extendit, ut eo ipso mulier præsumatur prodiga, aded quòd non possit probare

Ant. Gomez ad Leg. Tauri.

contrarium, nisi mutet mores: Bald. in cap. Cum decorem. de Vita & Honestate Clericor. colum. 2. in med. ubi dicit, quòd isto casu consanguinei talis mulieris possunt sibi facere interdici bonis, ut non possit contrahere, nec testari: Jason, ubi hoc valdè commendat, in leg. 4. §. Sed quod meretrici. de Condition. ob turpem caus. Verum tamen est, quòd ille textus hoc præcisè non probat: quia potest intelligi in muliere prodiga respectu bonorum, quia illa est quædam luxuria & effusio patrimonii; undè sicut masculo prodigo interdicitur bonis, ita & mulieri prodigæ, quæ dicitur in hoc prodiga bonorum: & ita intelligit ibi Glossa ordinaria illum textum in 2. lectur. per bonum textum quem allegat: & ita etiam illum textum declarat & intelligit Aretin. in dict. leg. Is cui bonis. final. colum. num. 9.

Adde tamen, quòd ista sententia & conclusio non habet locum in masculo; quia licet luxuriosè vivat, non tamen ex hoc fit sibi interdictio bonorum: quia sexus muliebris est debilior & fragilior; unde cum illo vitio & improba vita præsumitur, quòd magis prodigaliter effundet bona sua: masculus verò constantior & fortior est, & in eo non tantum exardet stimulus & concupiscentia carnis: ita tenet originaliter Specul. in titul. de Actor. 5. colum. versic. Sed utrum masculo. num. 12. & ibi Joan. Andr. in addition. tenet etiam & sequitur Roman. in dict. leg. Is cui bonis. penultim. colum. num. 25. Abbas & communiter Moderni in dict. cap. Pastoralis. de Judiciis. Palac. Rub. in repet. cap. Per vestras. de Donation. inter vir. & uxor. fol. 95. 1. colum. num. 23. Et ista opinio est vera & tenenda; licet Bald. teneat expressè contrarium in leg. Ea lege. final. colum. num. 20. Cod. de Condict. ob causam. argumento textus in leg. final. Cod. de Sentent. pass. & Doctor Segura in repetitione leg. Imperator. penultim. colum. ff. Ad Trebellian. ponderando dictionem implicativam & positam in dict. leg. Et mulieri. Quia implicat idem esse in masculo. Ripa in dict. leg. Is cui bonis. de Verb. obligat. 6. colum. num. 18. Nec obstat text. in dict. leg. final. de Sentent. pass. Quia illa procedit quando pater est legitimus administrator filii; unde propter luxuriosam & inhonestam vitam & mores aufertur sibi administratio bonorum filii, non verò propriorum bonorum. Nec obstat etiam text. in dict. leg.

N 2

Aviles in cap. Pratorum. in Proemio. num. 39. cum pluribus sequentib. Molin. de Primogen. lib. 1. cap. 9. num. 49. cum sequentib. Azeved. in leg. 4. titul. 1. lib. 6. Recopilar. num. 14.